

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---


**Programma Quo Decanus Senior, Omnesque Professores Facultatis Theologicae  
In Universitate Rostochiensi Funus Celeberrimi Theologi Augusti Varenii  
Indicunt, Omnesque Academicos Cives Literarumque Fautores Ad Exequias  
Frequentes Eundas ... Invitant : [P. P. Sub Sigillo Facult. nostrae, die X. Aprilis,  
Anno Domini MDCLXXXIV.]**

Rostochii: Weplingius, [1684]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn777160471>

Druck    Freier  Zugang







PROGRAMMA  
QVO  
DECANUS SENIOR.

OMNESQUE PROFESSORES FACULTA-  
TIS THEOLOGICÆ IN UNIVERSITATE  
ROSTOCHIENSIS

FUNUS

CELEBERRIMI THEOLOGI

AUGUSTI  
VARENII  
INDICUNT,

OMNESQUE ACADEMICOS CIVES  
LITERARUMQUE FAUTORES  
AD EXERCIPIAS FREQUENTES EUNDAS QVO PAR  
EST OFFICIO ATq; HUMANITATE INVITANT.

---

ROSTOCHII,  
Typis JOHANNIS WEPLINGII, Acad. Typogr.



A fuit qvondam Ecclesiæ Christi-  
anæ erga defunctos pietas, ut illorum memo-  
riam, qui dum vixerunt exemplo vel meritis præ-  
ceteris illustres fuerant, non anniversariâ tan-  
tum sed & quotidianaâ fere solennitate publicè  
celebrarent. Invenerunt in ipso missarum  
seu statarum ad S. Synaxin precum ordine lo-  
cum suum diptycha, unde nomina defunctorum  
recitabantur, utilissimo ritu, si Epiphanium au-  
dimus, hæc. 75. n. 7. nempe ut qui aderant certissimè sibi persuade-  
rent, mortuos vivere, nec in nibilum reditos esse, sed existere adhuc  
arque apud Dominum vivere. Morem hunc & liturgia Chryso-  
stomi & pseudo-Marci & Sacramentale Gregorii, aliaque vetera Ro-  
manorum missalia, apertis indicis produnt, Seculisque nono, deci-  
mo & undecimo etiam in Rom. atque occidentali Ecclesiâ perstitisse,  
Remigii, Alcuini, Flori, micrologi testimonialis à Jac. Goar. not. ad Eu-  
chol. Gr. p. 143. & Joh. Bona l. 2. de reb. liturg. c. ii. collectis con-  
stat, non nisi circa XII. seculum quod plurimum aliarum innovationum  
ferax fuit, immutatum. Lectionem factam esse de ambone clamor  
populi in Synodo Constantinopolitanâ actis Synodi oecum.  
V. insertâ docere quidem videtur, sed factum posterioris diei ad re-  
cepient, consuetudinem dilerte relatum, & fumus thuri-  
buli juxta præscriptum Chrysostomeæ liturgiæ pariter & altare & di-  
ptycha circumdans satis testantur, quod coram altari fieri solita  
sit. Ut autem defunctorum non eadem fuit conditio, alii Episco-  
patu alii minoribus in Ecclesiâ ordinibus atque officiis, alii martyris  
aut vita sanctitate tantum, aut beneficiis in Ecclesiam inter laicos emi-  
cuerant, ita distincto quoque loco atque ordine illorum nomina scri-  
pta atque lecta esse constat. Innuit id Augustinus, cum lib. de vir-  
gin. c. 45. fidelibus, inquit, notum est, QVO LOCO martyres, & quo  
defunctæ sanctimoniales ad altaria Sacra menta recitentur. Et Concil.  
Emerit. c. 19. ut recitat illum Bona l. c. cap. 8. §. 7. Eorum nomina a  
quibus

quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid bis sanctis  
Ecclesias videntur aut nisi sunt contulisse - si ab hac discesserunt aut di-  
cesserint luce, cum defunctis fidelibus recitentur IN SUO ORDINE.  
Quin & distinctis tabulis cuiusque classis vel Episcoporum saltem no-  
mina consignata fuisse, verisimile est, quod diptychis magnus mul-  
torum catalogus contineri vix potuerit. Atque ita cum in Synodo  
Mopsuesti Johannes cimeliarcha jubaretur proferre diptycha Ecclesiae,  
in quibus S. memoriae sacerdotum illius optima civitatis continentur  
vocabula, ex hac determinativa adjectione licebit colligere, illis nomi-  
nibus peculiaria diptycha fuisse à reliquis distincta, præsertim si lite-  
ras, quas collecti isthic Patres ad Imperatorem, quasque ad Vigili-  
um Rom. scripserunt, & exhibent Magdebb. cent. 6. cap. 9. col. 282. seq;  
edit. Basil. inter se conferas. Quod enim isthic in fine connumerationis  
(nominum Episcopalium) se invenisse referunt, hic in fine sacrorum di-  
ptychorum se legisse scribunt, ut in illâ connumeratione diptycha desis-  
se pateat. Eadem etiam successu temporis ex veteri formâ sâpe immu-  
tata esse & nova facta, responsio cimeliarchæ docet. Habeo & duos  
membranaceos quaterniones vetustiores iùs qui nunc sunt Greci-  
tantur, quos & ipsos proruli. Dignum tamen præ ceteris Ecclesia-  
rum studio erat, ut Episcoporum nomina conservarentur, frequentijs  
Ecclesiae memoriâ celebrarentur, quod & vult μνήμην. Locus  
Hebr. 13., 7. μνήμην τοῦ Ιησοῦ αὐτῷ, recordamini eorum  
qui vobis praesuerunt, qui locuti sunt vobis verbum Dei, quorum  
respicientes egressum conversationis imitemini fidem. Nemini e-  
nim potius quam Episcopo vox ιησουεῖα convenit, cuius quondam  
proprium officium fuit docere, quo labore nunc, ubi omnia in pe-  
jus lapsa videmus, aliis relicto, solum illud dignitatis & jurisdic-  
tio-  
nis nomen factum est. Et tanta quidem fuit hujus observationis reli-  
gio apud veteres, ut omissionem vel expunctionem Episcopi ex di-  
ptychis pro excommunicatione post mortem factâ aestimarint, que  
nota nemini nisi impio, apostatae & haeretico inuri debuerit. Quâ  
in re sâpe contra orthodoxos & bonos haereticorum conatus malevo-  
lorumque livor infamis fuit. Celebre est in historiâ Ecclesiastica certa-  
men de Joh. Chrysostomo vicinorum Episcoporum invidiâ oppresso,  
ut S. etiam diptychis excluderetur quod occidentales propter ea

omnem cum orientalibus communionem abruperint, non prius conciliati, quam ipsis nomen viri restitutum fuerit, vid. Theod. l. 5. hist. Eccl. c. 34. Nomina Euphemii, Macedotii & Leonis ab Anastasio Imp. malo consilio expuncta, quanto gaudio mox restituta excepit populus, docent acta duorum concil. Constantinop. seculo VI. De justiori exclusione Macedonii ob haeresin Arianam & Theodori ob Pelagianam disserit Henr. de Noris ad Syn. V. cap. V. Vetera illa fidelium in defunctos & Doctores praesertim suos studia atque piamentorum commemorationem imitatur hodie obscurâ vestigiorum umbrâ, cum de umbone Ecclesiæ postquam dicendi docendique finis factus est, eos qui beatâ analysi novissime hinc commigrarunt, expressis etiam nominibus, qui laudabilis urbis hujusmos est, populo indicamus, quibusque vel exemplis vel laboribus de nobis bene meriti sint, vel tribus verbis docemus. Recitare indies perpetua repetitione præclara nomina, fatetur & molestum esse & parvum utile, occidentibus ad ingeminatam illam memoriam autibus, ne pio illo quæna cupimus afflangu animus satis moveatur. Qnod tamen si statis temporum intervallis absq; adulandi studio & prosopolephâ (quâ seculum nostrum miserè laborat) fieret, suâ utilitate utique gauderet, nem tam subito opimorum virorum recordatio evanescere. Accessit quidem ille quondam ad laudabile institutum error, ut preces & oblationes altaris, pro iis qui nominabantur, adjungerentur, quibus culpa aliqua illorum deleri credebatur, ut patet ex Epiph. l. c. aliisq; seniorum præsertim seculorum scriptoribus. Quod cum improbamus, oppidò falluntur tamen qui hujus de cathedrâ Ecclesiæ recitationis, quæ apud nos est, non alium finem esse credunt, quam ut populus ad exequias eundas invitetur. Non opus erat ut presbyter eligeretur, qui præficarum officium occuparet, nisi gratia Deo pro beato & honesto obitu, pro præstite defuncto per omnem vitam gratia, quâ & Deo servit & aliis profuit, pro exemplo optimæ imitationis agenda, animiq; ad ea quæ sibi imminent consideranda, ad conservandam defuncto gloriam memoriam, & boni exempli imitationem erigendi, solatium necessariis & amicis publico officio præstandum, spes fidesq; de vita sanctorum post mortem corporisque resurrectione declaranda, preces pro imitationis gratia nostræq; aliquando mortis sui illi successu, quin & pro defun-

defuncti requie & aeternitatem domini vestrum apud eum fundenda essent.  
Quippe quas preces nec prohibet nec inutiles aestimat Ecclesia nostra;  
Apol. A. C. p. 274. seq. Eundem in finem etiam Programmate pu-  
blico, sermonibusq; funebris exequiarum solemnitatem obimus, ut  
quod brevioribus scedula de suggestu inter ipsa sacra recitatis deest, hi-  
scē subsidiis juvetur. Atq; utinam nunc absq; luctu summoque ani-  
morum dolore officium illud præstare possemus, cum grave vulnus  
corpori nostro inflictum, erupsumque nobis ingens bonarum litera-  
rum, studii Theologici, Academique, & quid? Ecclesiarum etiam  
Mecklenburgicarum decus & præsidium in morte illustris & a plurimis  
bus retro annis celeberrimi Theologi indicare oportet, Viri si quis a-  
filius digni quem nisi nemo nisi invidus & ingratus subtileat, nemo nisi a  
fide orthodoxâ alienus ex S. diptychis & publicâ ecclesiarum comme-  
moratione expungat.

AUGUSTUM VARENUM efferi-  
mus, perquam Reverendum atque Excellentissimum nomen, totos  
quadraginta & quod excurrit annos in hac Academia Professorem  
omnium exterorum atque civium ore laudissimum, Facultatis no-  
stræ, cum moreretur p. t. Decanum, ejusdemq; urbis collegii Ducalis &  
totius Universitatis Seniorem, communisque Serenissimorum Ducum  
per omnem Provinciam Consistorii Assessorem & alterius vicibus Direc-  
torem gravissimum.

Quantus ille fuerit, quantisque in Ec-  
clesiam pariter & Academiam meritis hactenus insignis, ut longa ora-  
tione exponamus, eo minus expectabitur, qvā magis illa omnium oratione  
celebrata, omnibusque qui hæc legere possunt vel sine encomio  
nostro abunde nota sunt. Neque injuriam faciemus sanctæ viri me-  
moriz, ut de ejus virtutibus in paucis his atque angustis pagellis, com-  
mentationem ordiamur: neque rēcens etiam sensus jacturæ, quād  
in illo fecimus, patitur, ut vulnus nostrum accuratiore manu refrice-  
mus, facta que enarratione eorum, de quib; hactenus gratulari no-  
bis potuimus, nunc cum erpta sunt, acerbiori luctui materiam sub-  
ministremus. Ne tamen officia nostri planè immores omnia re-  
ligioso solentio involvamus. breviter more majorum ea delibare ju-  
yabit summa capita, quæ ex scriptione hac quisque hodie discere ave-  
bit, quibus natalibus ortus sit à pueris, quibusque gradibus &

A. 3.

juvent.

juventutis exercitiis ad summum illud laudis virtutumque fastigium assurrexerit, in quo illum jam pluribus annis conspectum admirati sumus. Accendet hæc historia juxta Basiliæ judicium hom. 19. in Gord. Mart. lucem quandam cultoribus Dei ad virtutis iter ingrediendum. Non enim nostrâ, inquit, indigent ope ad laudem sancti defuncti, sed nos quis superstites sumus ipsorum commémoratio ne indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, & ex unguento diffunditur odor, sic & ex bonis actionibus necessar. ò provenit utilitas nobis. Hæc nos meritò spes confirmat, ut quæ de laudatissimâ tanti viri vitâ accepimus eò lubentius communicemus, quod magis in præclara illa, quæ bonis ingenii dedit ad omne virtutibus iter exempla, animas oculosque omnium credimus esse erectos. Natum est lumen hoc nostrum anno hujus seculi XX. d. 20. Septembbris Hitzigeri ad Albim in Ducatu Lüneburgensi, ex Patre, cui à defensis scriptis Arndianis satis celebre nomen partum est, Viro Plur. Reverendo ac Doctissimo, DN. M. HENRICO VARENIO, Sereniss. Principis AUGUSTI, Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis, tum temporis concionatore aulico, postea Præposito Ulzeni vigilantissimo, ex Matre, Ornatisissimâ Foeminâ, ANNA FREDERIA. Decuit sanè strenuum Christianæ pietatis Antistitem ex illo Patre lucis hujus usuram accipisse, qui libros ad omnem praxin fidei & operum inculcandam totâ Germaniâ aestimatissimos ab hæreseos infamia vindicasset, ne quod in iis ad promotionem regni Christi & larvam diabolice securitatis pluribus detrahendam magno cum successu profuit, inter saevientesiam flamas atque candentes aliorum librorum prunas cum stupore adstantium non semel servatum, propter æxup̄s quasdam vel ambiguas & male intellectas phrales incomparabili jaeturâ supprime retur. Non tamen intra hos terminos illi generis gloria stetit, sed Avo quidem Paterno gavisus est spectatae & integerrimæ famæ Viro, JOHANNE VARENIO, Hervordiensium in Westphaliâ Civi, Avia paternâ, MARGARETA PRUSTERMANNIA, sui sexus ornamento, Avo verò Materno, admodum Reverendo Excellensissimoque Viro, JOHANNE FREDERO, S. Theol. D. & Prof. P. in

in alma hac Universitate celeberrimo, dioceceosq; Rostochien sis  
Superintende virgilissimo, Avia Maternà MARGARETA,  
digna prole insignis Theologi, incomparabilisque Ecclesiae &  
Academiae Meckleburgicæ luminis, DAVIDIS CHYTRAEI, Pro-  
fessoris quondam Primarii totisq; 49. annis apud nos famigeratissimi,  
cujus præclarissima acta ad instaurationem & confirmationem Ec-  
clesiarum orthodoxarum præsertim in Austria & Styria, quo ab  
ipso glorioissimo Imperatore, MAXIMILIANO II. evocatus  
est, superioris seculi historia & decantatissima viri scripta abun-  
de testantur. Ex tam præclarâ stirpe quid nisi præclarum &  
augustum progenici potuit? quo ipso nomine, à suscepore quem  
ad S. fontem natus est illustrissimo, ipsi dato, jam in infantia au-  
gusta quæque videbatur ominari. Nec defuit omni vel ingenio-  
rum vel industria vel præceptorum adminiculum, quos primos  
in Scholâ Ulzensi adeptus est, præcipue, quem grata semper mé-  
moriâ coluit, Cl. Virum, M. GEORGIUM KRUKIUM, tum  
temporis Scholæ Ulzensis Rectorem postea autem medicinæ D. &  
Prof. in illustri Soranâ apud Danos. Alios deinde à XIX. ætatis an-  
no ipsi dederunt Scholæ Hanoverana & Brunsvicensis laudatissi-  
mos: quibus accessit gravissimus Theologus MICHAEL WAL-  
THERUS, quem cupidissime secutus est in Hebraicis & Theo-  
logicis studiis præeunte. Horum ergo præscripta avidè imi-  
tatus, vestigia asseditus, eruditionem æmulatus, felicissimo suc-  
cessu ita crevit, ut post triennium dignus esset, qui matura jam  
& penitus incalcentia studia in Academias transferret. Itaque  
patris licet consiliis, subsidijsque destitutus, quem nimium citò sibi  
eruptum questus est Helmstadium elegit, quo se A. C. 1637. rece-  
pit, sed propter gravem temporum injuriam post moram non ad-  
modum longam iterum relinqueret coactus est & Hamburgo com-  
mutare, ubi Mercatori Belgæ inter suos nobili multaq; rerum ex-  
perienciâ claro in educandis erudiendisque liberis operam præstitit  
fidelem. Nec tamen segnior ad prosequendum quem cœperat cur-  
sum, sed in omnem erectus occasionem, qui augeretur eruditio-  
nis thesaurus, quem jam plenâ spe complectebatur, commo-  
ditate uti voluit egregii, quod isthic erectum esse novimus, Gymna-  
sii, Do;

ai, Doctoribusque gravissimis JOH. MULLERO, & GERH.  
GRAVIO, quorum ope ita profecit, ut sub hujus, quem posterio-  
rem nominavimus, Reverendi Viri Præsidio die VII. Januarii, An-  
no 1640. in acto aterio Theologico contra Judæos Hebræo idio-  
mate respondendo disputaret, & mox die X. ejusdem mensis co-  
dem idiomate conceptam Orationem publicè recitaret. Rarissi-  
mo exemplo & industria & ingenii, ut juvenis XX. annorum præ-  
ger promtam rerum ipsarum cognitionem tam expeditam nactus  
sit difficillimæ alias atque à nostræ & aliarum occidentalium ge-  
nio diversissimæ lingue promitudinem, ut & elegantias oratoris  
in eâ ostendere quiverit, & è vestigio verba apta invenire, quibus fa-  
miliariter loqueretur. Non enim ad vanam ostentationem has actus  
fuisse compositos, ut verbis Hebræis in Latinismum miserâ barba-  
rie contortis fucus peregrini idiomatis imperitis fieret (qui multo-  
rum hodiè mos est, se ipsos pariter & alios falsâ perſuasione fal-  
lentium) sed veræ eruditio solidam gloriam spirasse, nota Virti  
in hoc genere exquisitissima eruditio, pluriusque & tantum non  
quotidianis documentis posteà comprobata, satis fidem facit.  
Post hæc specimenia juventutis cum civi quodam suo, nautici te-  
lonii exactore, in patriam reversus, & cum gravissimâ bello-  
rum tempestate aliquandu colluctatus, ne qua res esset, cuius for-  
tunam non sentiret exercendum omni piorum palestrâ caput,  
mox tamen cepto consilio Hamburgum rediit atque inde porro  
profectus mari ad celebratissimam isto præcipue tempore Uni-  
versitatem Regii montis in Prussiâ delatus est. Quo ille tum ardo-  
re, quibusque conatibus ad promovendum literarum studium,  
fastigiumq; illud, cui natus erat, propediem attingendum incubu-  
erit, isto jam apparatu copiosissime instructus, cuius alii si vel  
tertiam partem attigissent, sejam saturâ lance domum redire pos-  
se credidissent, facile tum ex eo quod haetenus mirati sumus in-  
genio, tum ex Clarissimis Excellentissimisq; nominaibus, quæ  
isthic & Philosophicam & Theologicam cathedram occuparunt,  
egregiamque liberalibus exercitiis occasionem præbuerunt, EIF-  
LERIS, LINNEMANNIS, REIMARIS, quin & BOHEMIS,  
MISLENTIS, CALOVIIS, licebit reputare. Prope aberat  
Soci-

Socinianorum infusa turba, quā velitationibus Academicis  
frequenter experiri præsens rerum necessitas postulabat, inseruit  
se Calviniana factio fortunam certaminis publici tentatura, &  
interprete Bergio, inter adstantem Procerum atque magnatum  
coronam ( ipso etiam assidente atque auscultante tunc Serenissimo  
Electoratu Principe nunc potentissimo Electore Brandenburgico )  
Theologicis Disputationibus opponente, se ingressit. In publico  
isto fervore oppugnatæ atque defensæ orthodoxia, quantum ani-  
mi adjectum esse opinamur huic nostro ad premenda veritatis ve-  
stigia, Scripturarumque fundamenta penitus excutienda, ut &  
ipse aliquando vel pari vel feliciore etiam laude atque successu e-  
jus promachus existeret? Sed inter hæc augusta bona mentis  
theatra aliud se aperuit ipsi interscenium ad rerum experientiam  
viro gnavo comparandam non leviter profuturum. Regius qui-  
dam Poloniæ ( uti vocant ) Referendarius, idoneum quærens Se-  
cretarium, qui acta quædam Germanica Latinè verteret, quæ ad  
Regem mitterentur Warsoviam, non potuit in copioso illo stu-  
diosa juventutis numero diu ignorare Varenium, Latinitatis ex-  
acta promptitudine, sicut omnes novimus, præ ceteris pollentem.  
Hunc blandis verbis exoratum ad laborem istum suscipiendum,  
postea secum in Poloniæ ad ipsam sedem Regiam eo tempore,  
quo publica regni comitia celebrabantur, adduxit, atque ita non  
morestantum ejus gentis publicos privatosque sed & politicarum  
rerum statum avido ad egregia omnia haurienda ingenio discen-  
di occasionem præbuit luculentam. Postquam autem iter illud  
moramque Regiomonti impendendam feliciter emensus erat,  
egregiis functus laboribus tandem bono sidere nostro ad hanc al-  
lam Universitatem accessit, Hospites nactus ( ut solet Deus suis  
prospicere ) liberalissimos raræque virtutis in ipso astimatores  
optimos, primùm qvidem eximium urbis consulem CLINGIUM,  
postea Celeberrimos Doctores SCHNOBELIUM & LUTKE-  
MANNUM, quos magnâ cum honoris præfatione, ut gratum  
virum decet, sapissimè nominare solebat. Primus tunc occupato  
apud D.SCHNOBELIUM Museo Metoselenii accessorij incola fa-  
ctus est, cuius postea ultra triginta annos plenus conductor & habi-

B

tatog

**utor fuit.** Hie statim, ut quiescere vigot animi non potuit,  
exercitii publicis inclarescens elaboratisque contra Lohmanni &  
Tetingii errores de veritate & opozita quam nobiscum habet car-  
nis Christi, ut & de unicâ credendorum normâ disputationibus  
(quarum illam sub præfido D. QVISTORPII, hanc sub Præfido  
D. COTHMANNI, gravissimorum quondam Academî nostræ  
luminum de cathedrâ defendit) magnorum in se virorum atque  
patronorum favorem allicuit, præcipue famigeratissimi & nun-  
quam satis laudati, deque Universitate imprimis hac æternâ  
meritissimi, Gustrovo-Meckleburgici Cancellarii D. COTH-  
MANNI, ut ad erudiendos ipsius filios promte expeteretur. Ubi  
cum non minus solitam dexteritatem privatim probasset, quam  
publicè probaverat ingenium, tantùm labore atque laude omni-  
um crevit, ut à Serenissimo Principe ADOLPHO FRIDERICO,  
Duce Mecklenburgico lineæ Sverinensis, post præviam veneran-  
di Collegii Ducalis nominationem more majorum factam, gra-  
dumque Magisterii Philosophici cum latè omnium Doctorum di-  
scientiumque applausu collatum, et si satis adhuc juvenis necluma  
XXIII. annos natus, ad Professionem Hebrææ linguae clementissi-  
mè vocaretur, d. 28. Junii, A. D. 1643. Ab eo tempore qualem  
legesserit, quâ fide, dexteritate, labore, vigiliis, munus suum  
obicerit, quam nec privatis nec publicis lectionibus disputationi-  
busque parserit, ut operarius frugi in vineâ Dei audiret, publica  
fama & ipsi Universitatis nostræ annales loqvuntur. Novimus  
virum insigni Auditorum frequentia, quorum quidam jambene  
profecti atate atque eruditione, captandi carpendumque potius  
quam discendi animis ad juvenem Professorem in spartâ difficilli-  
mè occupatum accedere videbantur, aerius excitatum ad recessus  
linguae sanctæ omnes penetrando, somno intermissivè abrupto  
secundâ matutinâ lucubrare solitum esse, ne quid nisi probè ex-  
alciatum vulgaremque eruditionis modum transcendens de-  
cathedrâ sonaret. Ab his lucubrationibus ortæ sunt præter a-  
llas observationes rarissimas deperditæ hactenus Accentuum He-  
bræorum doctrinæ redinventa præcepta, quæ post celeberrimi  
Bohlji prima, & ut initii accidere solet, tuditata tentamina, ita-  
accus

Accuratè delineata atque expolita reddidit, ut suppressam eorum  
in privatis disiectisq; auditorum sedulis quiescentium editionem.  
sibi invideri eruditus orbis merito queri posset, nisi postmodum  
eximula virtutis Varenianæ WASMUTHII A manus suum pari soler-  
tiâ atque felicitate confectum opus vulgasset, quod jacturam Va-  
reniani laboris perpetuamque cui damnatus est noctem suo splen-  
dore solaretur. Sed ut istum Bibliopolia loqvuntur, ita nos  
decet Varenium nostrum in hac causâ non tacere, modestiæque  
eius etiam post fata succurrere, qui & prior in hac arenâ nec infe-  
rior Wasmutho desudavit, atque ita duplice nomine Universi-  
tati nostrâ de restitutâ tam nobili Hebraicæ literaturæ parte pu-  
blicè gratulari. Neque tamen in illâ solâ arte, cujus professio-  
nem natus erat, Varenius meritorum mensuram continuit, effu-  
dit se in omnes Philosophiæ partes, etiam eloquentiam, historiam,  
mathesin Viri diligentia, ne ullâ in re vel dissentium ardori vel  
consulentium desideriis deesset. Atque ut mature scopum  
quoque cum feriret, in quem omnia hactenus collimaverant.  
Anno D. 1648. d. 13. Junii, Decano p. m. D. JOH. COTHMAN-  
NO gradum Licentiati Theologicum assumuit, statimque eodem  
anno à Facultate Theologicâ exercitia Theologica publicè priva-  
timque habendi potestatem impetravit. Religioni enim fuit  
obliviantissimo boni ordinis viro, licentiam sibi et si Licentiat  
quandam alieni muneris suâ sponte arripere, rato non oportere  
absque venia quasi furtivis conatibus se illi messi ingerere, cui aliae  
falces paratae erant. Mox autem cum pœniteret absque titulo  
Doctorem esse, in alterâ panegyri publicâ, Anno D. 1650. d.  
14. Maij, eodem quo antea Decano, summos illos Facultatis no-  
stræ honores ritè sibi collatos cum lœtâ totius Universitatis gratu-  
latione abstulit. Quem nominis splendorem quâ virtute illustrem  
reddiderit si ulteriore Oratione exponere velimus, soli facem vi-  
deremur præferre. Vedit eruditus orbis Commentarios nil vul-  
gare sapientes in Pentateuchum, Esaiam, Danielem, Haggaeum,  
Zachariam, Malachiam, Epistolam ad Romanos, Tri-  
umphos Davidicos, Gemmas Salomonis, Exegesin Augustana  
confessionis, Breviarium Theologicum, Rationarium. Gll. Se-

B2

culgo

rum, indiculum controversiarum, tract. "de Religione tutissimā,  
Canali traditionis, Characteribus Messiae, Nominibus Divinis &c.  
instrumenta famae ad exterias & longē distitas regiones delata. Vis  
dit Academia audivitq; Disputationum Theologicarum, Philolo-  
gicarum, Rabbinicarum, ingentem numerum, quæ quod  
tanquam ~~προσέρχεται~~ evolant, in justum corpus non collectæ, plu-  
tum divisam, neminis nisi civis & indigenæ conjunctam admis-  
erationem in se concitarunt. Carminum Orationumque nume-  
rū quis recenseat? in Poëtā icilicet perfecto & oratore planè su-  
bitaneo, cui dicere, scribere, disputare è vestigio, admodum  
leve fuit, inopinatis Academiæ festivitatibus in Serenissimorum  
Principum adventu, quin & Gustrovii in funeribus Principum pa-  
rentatione Ecclesiasticā prosequendis, non semel comprobatum.  
Laudabunt etiam solertia viri, per omnes regiones quibus fides or-  
thodoxa floret, sparsi, venerandi Ecclesiārum Antistites, Scholarum  
que lumina clarissima, qui illo præceptore usi sunt, magnoque  
nomini gratam memoriam perpetuò præstabunt. Loquentur  
vel iis fato jam functis, crassa volumina bonarum annotationum  
ex ipsis ore fideliter excepta quæ in scriniis discipulorum ut pre-  
tiosissima καμηλα asservantur. Insignia illa præclarū Theo-  
logi specimina non minùs quàm lumen in mensā positum Serenissi-  
mos Principes latere potuerunt. Tentata sèpius est constantia  
animi, ut à Professione Philosophicā ad Theologicam progrede-  
tur, atque ordinario officii dignitatisq; nomine esset, quod bona  
cum Theologorum veniā ex præclarū ingenii indole jam tum  
ipsā re erat. Verū cum ob causas alias impetrari id ab illo ne-  
quiret, adjecta tamen est solenni vocatione Catecheseos Christia-  
næ professio, quæ tanquam Theologiae extraordinariā fungeretur.  
Quod ille non tituli, sed laboris & publicarum lectionum novum  
διδάσκυα esse ratus, ne otiosè videretur adiectum acriore dili-  
gentiā compensavit, duosque per hebdomodem dies, qui vaca-  
re alias solent Disputationibus, dubiis quæstionibus conscienc-  
iæ atque fidei enucleandis in magno auditorum confluxu impen-  
dit, donec tandem post discessum ex hac Academiā perqvām Re-  
verendi & Excellentissimi Viri, D. HERMANNI SCHUCK-  
MANNI,

MANNI, Professoris h̄ic quondam famigeratissimi, ad aulam Gu<sup>2</sup>  
stroviensem, Serenissimi Principis, DN. GUSTAVI ADOLPHI  
Duci Mecklenburgensis &c, Domini atque Patroni nostri clemen-  
tissimi, exuberans gratia tantum potuit, ut Professionis Theolo-  
gicæ, assensionisque Consistorialis successionem admitteret, intro-  
ductus Anno Christi M.DC.LXIV. ad novum in hac Academiâ  
officium, præviâ oratione inaugurali de *Confessione Paulicorum*  
*Tribunali Cæsaris*, ex Act. 24, 14. seqq. Non latere etiam po-  
tuerunt extēnos Principes rarissimæ dotes Theologi nostri, lon-  
gius latiusque famâ subinde dimanante. Illustres quoque viri ad  
hanc urbem vel delati vel allecti ejus ingenium stupere, amiciti-  
am ambire, servare, colere. In his Potentissimi Galliæ Regis Ora-  
tor illustrissimus, cum ex publicâ causâ ante plures annos h̄ic ad-  
asset, quotidianus ferè in ædibus Varenianis hospes visus est, & cum  
de religione dissentiret, de illo dissidio inquirere, differentem  
audire, docenti opponere, opponenti respondere, testimonia ve-  
terum scriptorum cum illo evolvere & in solo loco & arbitris  
præsentibus gestivit. Peperit magna ejus & virtute digna æstima-  
rio apud exteriores, plures etiam plurum ipsi solicitationes, ad com-  
mutandum domicilium & honorifica alibi officia obeunda, inter  
quos imprimis notum est Potentissimi Sveciæ Regis studium, binā  
vocatione, alterā ad novam que tunc in Scaniâ erecta erat Academi-  
am, Anno D. 1667. d. 29. Novembris, alterā ante annos non ita plu-  
res ad Pomeraniae citerioris Superintendentiam generalem, & Pro-  
fessionem in Universitate Gryphiswaldensi primariam destinatā.  
Sed Serenissimi Principis GUSTAVI ADOLPHI singularis gratia,  
clementissimusque temper in ipsum affectus, augmento etiam an-  
nui salarii jam ab Anno D. 1668. extraordinariè adjecti conspicuus,  
retinuit virum nobis, ut (ceu grati agnoscimus) quibus juventutis  
vigorem impenderat, iisdem & omnes senectutis vires ad extre-  
num usque spiritum lubentissimè consecraret. Conjugium illi  
fuit felix atque exoptatum cum matronâ sui sexū virtutibus ex-  
ornatissimâ, CHARITATE CREGELIA, Viri Plur.  
Reverendi atque Doctiss. HEINONIS CREGELII Superintendent.  
Ulzenſis dioeceseos vigilantissimi filiâ, viri item multū Rev. Joh.  
Heckenbergii, Pastoris quondam templi quod Ulzæ est præcipui-

Felicità viduā juveni , quām occasione itineris in Patriam suscepit  
conspicatam , suisque se virtutibus facile commendantem , Anno sa-  
luti 1644. domum duxit , conjugioque svavissimo XXVIII. annos  
tenuit fidelissimam , duobus ex illâ siliis suscepit , altero HEINO-  
NE HENRICO mox in infantia ad meliores abeunte , altero AU-  
GUSTO magnâ patris curâ ad hanc ætatem , quâ Studiolus vivit ,  
educato , tribusque filiabus magna virtutum laude apud omnes bo-  
nos æstimatisimis , ANNA MARGARETA , quæ Nobiliss. atque  
Experientiss. Viro , Dn. JOACHIMO STOCKMANNO , Med. D.  
& Practico apud nos felicissimo nupsit , & Patri neptes duas con-  
spiciendas dedit , ANNAM CHARITATEM , florentissimam  
virginem , magnū hactenus Avi gaudium & MARGARETAM ELL-  
SABETHAM in primis infantiae annis beatâ morte extinctam ;  
MAGDALENA JUSTINA , quæ Pl. Rever. atque Præcellentiss.  
Viro DN. M. JACOBO HIERONYMO LOCHNERO , Pastori  
ad S. Nicolai apud Wism. fidelissimo & Consistorii Regii quod ibi-  
dem est , Assessori gravissimo , uxor data est ac. binâ quoque prole A-  
vum felicem reddidit , AUGUSTO CASPARO , quem tamen cita  
mors his terris subduxit , & JACOBO HIERONYMO per Dei gra-  
tiam superstite ; Denique CHARITATE materni nominis non  
magis quām virtutis herede , pl. Reverendo & Clarissimo Viro ,  
DN. M. HENRICO CARMOHNIO , Pastori ad ædem Jacobem  
apud nos meritissimo elocata , undetres nepotes o *μακαρεῖς*  
conspexit , AUGUSTUM , HENRICUM , & PAULUM JOACHI-  
MUM , illum quidem jam fato suo functum , istum vero & hunc  
Dei gratiâ superstites . Hac ille noster familiâ longè conspicuâ  
felix hanc unam sensit conjugii infelicitatem ; quod Anno 1672 vo-  
tis utique citius svavissimam uxorem extulerit , duodecennis ex-  
inde senex viduus . Ipse quidem fato hoc haud leviter percussus ,  
qui uxorem tanquam *לְוַתֵּן* eo semper amore complexus  
erat , quem boni ejus mores & strenua virtus promeruerant ; vicit  
tamen dolorem magnitudine animi , nec à statione suâ mentem  
dimoveri passus est , id unicum in eo viduatu nactus , ut quoties via  
ad Collegium vel Templum ordinaria ambulantem per coemete-  
rium duxit , tumbam Charitatis amissæ ad recolendam mortalita-  
tis memoriam , si non oculis semper , mente tamen ( ut de se profi-  
teretur )

teri

seri solebat) respiceret, atque sic quotidiano exercitio se ad exitum illum pararet, quò post relictum humanæ scientiæ sapientiæque thesaurum alio nobiliore commutandum sola charitas perpetua comes est. Neque enim minorem fuisse Christianum quam Theologum testari possunt quotquot eum familiariter noverunt. Exercitia quæ cum suis instituit domestica, preces (proh! quo ardore, quæ assiduitate?) ad Deum & in cubiculo solitarias, & cum familiæ communis, & in æde sacrâ publicas consœcii prædicamus, & nisi proposita nobis abrupta brevitas juberet omnes potius virtutes tacere, quam vel unam jejuniū collaudare, eò lubentius pluribus verbis prædicaremus, quò illa à Pharisaicâ ostentatione remotiora à paucissimis observari potuerunt. Si quid tamen eâ de re dicendum est, Magnis Acad. Rectoris illud pensum esse debebat, Viri Pl. Reverendi & Excell. qui postremo hoc Anno confessiones ejus privata audivit, morum castitatem observavit, lectoq; decubanti cum jam fere fini suo immineret, propius adstitit. De mortis morbique genere quo extinctus sit, respondere Medicorum est, quos experientissimos consuluit, Excellentiss. Dn. D. SEBASTIANUM WURDIGIUM, P. P. apud nos celeberrimum, & quem antea nominavimus generum sibi felicissimū. Nobiliss Dn. D. STOCKMANNUM. Quod autem ab iis vidimus judicium, tale est ut defuncto videatur per quam gloriosum. Imperatorem docet stantem mori, dixit quondam Vespasianus: Varenium non oportuit nisi negotiosum mori. Tanta ipsum semper pressit curarum moles, ut præter ipsum alias illi vix par fuerit. Lectiones, disputationes, consilia, decreta, ex pistolæ, amitorum compellationes, & quid non? subinde indefessam exercuere manum atque linguam. Senior omnium Collegiorum omnem fere in se devolvebat rerum gerendarum curam, neque ut quid proletariè fieret, vel alius eâ se operâ levaret, quam suam esse deputabat, facile passus est. In gravi hoc senio, viriumque languore jam saepius ob oriente, integras saep noctes insomnes duxisse, Ducalibus consultationibus atque negotiis expeditiundis invigilantem, constat, neque post exantatos labores pro necessitate corporis refectum. Hinc ciborum nausea oborta & post  
long

Songā inediā viscerum, et rurūque debilitas. Cui ut maturè  
succurreretur laborum levamine à viro solertissimo impetrari ne-  
quivit. Scipione nixus, curruq; vestus ad Auditorium disputatu-  
rus in magnā aëris inclemētiā perrexit, Consistorio etiam in or-  
dinario juris dicundi die, quinto ante obitum, et si magnā cum  
molestiā p̄fuit; in ipso lecto proprietate quā moreretur consilia  
ad Facultatem referenda notario dictavit. Denique jam & Acta  
Gustrovio oblata respexit, cum ingravescens morbus & recur-  
gentia animi deliquia semotis omnibus aliis curis juberent vasa col-  
ligere, & ad nobilius adspicere domicilium, ædem æxigom, de  
de quā postremas omnium suggestas meditationes piè amplexus  
est. Sic illud Universitatis nostræ columnen, Patrum flos, Theolo-  
gorum decus atque ornamentum, Principis sui fidelissimus mini-  
ster, inter ardentes adstantium preces placidâ piâque morte expira-  
vit, horâ post medianam noctem primâ, quæ imminebat Decimo se-  
xto Martii hujus anni. Solyeremur hîc in lacrimas, magnamq;  
literis lacunam madido fletu induceremus, si vel defuncto sic con-  
sultum esset vel nostro detrimento. Verum ut viros Christianos  
etiam in adversis invicta constantia decet, ita neque anima à re-  
bus mortalium ad æterna jubila progressæ vel prodest vel placet  
ejulatio nostra, illis relinquenda, quibus spes post mortem nulla su-  
perest. Fidelis Deo servus in eam secessit requiem, unde retrahit  
nolit, bonum certamen certavit, cursum absoluit, fidem servavit,  
quod reliquum est, repositam habet sibi coronam justitiae, quam  
distribuet Deus in illo die justus iudex, omnibus qui apparitionem  
eius amant. Nostrum erit patienter ferre sortem nostram, & bo-  
nis quæ reliquit vestigiis quantum possumus insistentes interima  
gratâ honestaque memoriam ejus merita semper recolere. Cui ut  
hodie postremo quoque pietatis officio justa exolvatis, Vos omnes,  
quotquot estis, Academiz Cives titulis ordinibusque vestris ho-  
noratissimi, bonarum literarum fautores, Ecclesiæque Christi cu-  
pidissimi filii, & nostro & heredum qui hoc funus parant nomi-  
ne, obnoxie rogamus atq; invitamus. P. P. Sub Sigillo Fa-  
cult. nostræ, die X. Aprilis, Anno Domini  
M DC LXXXIV.






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn777160471/phys\\_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777160471/phys_0019)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777160471/phys\\_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777160471/phys_0020)

DFG

## PERSONALIA:

derlich aber desshalbem berühmt gewese  
von andern Königen/Chur-Fürsten /  
Städten / zum Theil in ihre Universitä  
anzurichten oder besser zubestellen / zu  
re Kirchen und Schulen zu reformir  
ordnen(wie denn in Oesterreich und in d  
Mark geschehen) begehret / auch selbst  
Hochstlöblichen Kaiser Maximiliano de  
des Nahmens / wie die noch verhandel  
Beruffs-Briefe bezeugen/nach Wien in  
der Reformation und anderer hohen S  
ber berufen und mit Kaiserl. Gaben al  
beehret worden.

Die Elter-Mutter Mutterl. Seiten  
die Ehr- und Tugendreiche Frau  
Smedes / des Wohl-Ehrenbesten/  
bahren und Wollweissen / Herrn LA  
Smedes / Hoch-verdienten Raths v  
dieser Stadt eheleibliche Tochter.

Von diesen vornehmen Eltern und  
ist der numehr Hoch-seelige Herr Doc  
ren und bald darauff Geistlich in der H.  
der gebohren / und nach dem damahlig  
Fürsten und Herrn/Herrn AUGUST I  
gen zu Braunschweig und Lüneburg etc

G

